



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Juris Canonici Theoria Et Praxis, Ad Forum Tam
Sacramentale quàm contentiosum, tum Ecclesiasticum,
tum Seculare**

Cabassut, Jean

Lugduni, 1698

III. De simonia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62355)

XIV. Istud saltem in confesso est apud omnes, si Clerici percussio sit occulta, quantumcunque gravis, neque in forum deducta contentiosum, nullibi terrarum opus esse ut conveniatur prima Sedes, ex quo providit Concilium Tridentinum, posse ab Ordinariis locorum omnem absolvi censuram supremæ Sedi reservatam, modò casus quo illa incurritur sit occultus, solo excepto voluntario homicidio aut delicto quod ad forum contentiosum fuerit deductum. Si ergo Clericus ex percussione non interierit, & author percussione sit occultus & ignotus, potest ab Episcopo in foro conscientie absolvi, nec tenetur ullo tempore Papam aut Legatum convenire. Hæc enim potestas competit Episcopis jure ordinario ex Tridentina sess. 24. cap. 6. Potestque Episcopus i. alteri delegare potestatem, ut cum plerisque Doctoribus quos citat, asserit Bonacina tract. de censuris particularibus, disp. 2. quæst. 3. punct. 6. sect. 5. n. 19. & 20.



CAPUT III.

De Simonia.

I.  ULLA delicti species est quæ tot tantisque difficultatibus implicetur, ut simonia: ideoque necesse est hanc tractationem esse paulò prolixiorẽ. Sic tamen illam pro virili agitato, ut neque prolixitas fastidium, nec brevitæ obscuritatem pariat, aut quidquam illorum supprimat quæ ad accuratam & perfectam hujusce materiæ cognitionem exigere possint. Simonia est emptio venditio rei spiritualis aut spirituali annexæ. Nomine emptionis venditionis comprehenduntur in hac materia omnes contractus non gratuiti, ut sunt permutatio, transactio, locatio, do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias. Spiritualibus annexa illa dicuntur, quæ cum per se spiritualia non sint, dependent tamen à spiritualibus, aut ad hæc ordinantur, cujusmodi sunt Sepulturæ, Præbendæ ac Beneficia, vasa sacra, jus patronatus.

II. Præclare S. Thomas 2.2. quæst. 100. art. 4. bifariam distinguit spiritualibus annexa, scilicet annexa antecedenter, & annexa consequenter. Annexa antecedenter ea sunt quæ cum ex natura sua materialia sint, præcedunt rem sacram ad quam referuntur, cujusmodi sunt Calices & Altaria & sacra Vestimenta, quæ cum primariò & ex se materialia sint, induunt spirituales formas ex consecratione illis accedente. Atque ista pretio distrahi non prohibentur, dummodo æstimetur in eis sola materia cum forma artificiali, nullâ habitâ ratione benedictionis aut consecrationis.

nis. His accedit jus patronatus, quia antecedit nominationem seu præsentationem ad Beneficia. Hoc jus per se vendi non potest, sed tamen transfertur in alium per venditionem bonorum temporalium, quibus jus patronatus annexum est, cap. *Cum seculum*, & cap. *De jure*, sub tit. de jure patron. Consequenter autem spiritualibus annexa sunt Beneficia, utpote quæ sequuntur divina Officia, pro quibus celebrandis instituta sunt Beneficia. Atque ista non possunt sine simonia vendi, cap. *Si quis objecerit*, 1. quæst. 3.

III. Triplex quoque simonia distinguitur. Prima mentalis, quæ non procedit ad externum opus, vel procedit quidem, sed sine pacto exterius expresso. Secunda conventionalis, in qua intervenit quidem pactum exterius expressum, non tamen quidquam datum fuit, nisi fortè ab una Partium, ut si emptor recepit quidem Beneficium, sed pretium conventum non exsolvit, aut si viceversa pretium quidem exsolvit, sed Beneficium non recepit. Tertia realis, in qua hæc tria concurrerent actu, scilicet pactio simoniaca, solutio pretii, & receptio rei sacræ.

IV. Pretium quoque simoniacum triplex est, ut docet cap. *Salvator*, §. *Quisquis*, 1. quæst. 3. scilicet munus à lingua, nempe sollicitationes, & in alterius gratiam preces. Munus ab obsequio, ut si Beneficium hac lege tradam alicui, ut mihi meisve Philosophiam prælegat, aut mea negotia gerat. Denique munus à manu per pecuniæ, aut rei pecuniæ æstimabilis largitionem, cap. *Sunt nonnulli*, 1. quæst. 1.

V. Itaque simonia committitur etiam in ipso pacto reparandi Ecclesiam, aut Nosocomium, vel Xenodochium, aut redimendi captivum, aut erogandi eleemosynas, cap. *Non est putanda*, 1. quæst. 1. & cap. *Ex multis*, 1. quæst. 3. Licet enim hæc sint pietatis opera, habent tamen materiam temporalem pretio æstimabilem; & si fiant ex pacto consequendi rem sacræ, in simoniam degenerant.

VI. Sanè sola largitio, vel sola spes ipsius largitionis quæ non fuerit in pactum deducta, nullam parere videtur simoniam, licet ex motivo gratitudinis res sacræ tradatur, aut ex gratitudine ob traditam rem sacræ moveatur quis ad largitionem muneris à manu, dum nulla, sive tacita, sive expressa conventio intervenerit, cap. *Tua nos*, de simon. & ibi Glossa in verb. *Purè consentiant*.

VII. Simoniam ille committit, qui pecuniâ seu pretio sibi devinct familiarem Episcopi hac pactione, ut pro se, aut sibi conjuncto Beneficium ab Episcopo petat, licet neque Episcopus qui confert, neque Clericus cui confertur Beneficium, hujus illicitæ pactionis aut traditionis ullam prorsus notitiam habeant. Ille verò qui quantumvis bonâ fide recepit, statim atque pactionis simoniacæ pro se id ignorante factæ notitiam habuerit, non potest deinceps id Beneficium possidere, sed ipsum debet resignare in manus Papæ, vel Legati, vel Ordinarii; qui tamen poterunt eidem

eidem de novo liberè conferre : purgata enim per resignationem alienâ simoniâ, novum ei jus acquireretur per novam ejusdem Beneficii collationem. Sed si Ordinarius eidem de novo conferat, cum non habeat jus dispensandi aut rehabilitandi, quale habet Summus Pontifex, necesse erit tria hæc simul concurrere. Primò ut hic resignans dum providebatur de illo Beneficio, prorsus ignoraverit illam simoniacam conventionem. Secundò ut postquam illam resciverit, sine mora & quamprimum commodè potuerit Beneficium resignaverit; alioqui enim esset in culpa, quæ dispensatione supremæ Sedis indigeret, ad quam nihil posset Ordinarius. Tertio denique, ut illud sit simplex, & non curatum Beneficium, ad quod solus Papa potest in isto casu dispensare. Hæc decernuntur in cap. *Quicumque*, & cap. *Præsentium*, 1. quæst. 5. & cap. *De Regularibus*, & cap. *Ex infirmatione*, & cap. *Sicut*, de simon. Tres verò istæ conditiones, in quarum concursu potest Episcopus resignanti de novo conferre, comprehenduntur in cap. *Si alicujus*, penult. de electione. Si quæras de fructibus Beneficii quod Clericus ille possedit per aliorum, quam ignoravit, simoniam? Respondet S. Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 6. ad 3. teneri solum restituere fructus extantes, sed non consumptos, ob bonam fidem. Itaque distinctio utrum ex consumptis fuerit factus ditior aut non, minimè hic requiritur.

VIII. Simonia nulla inest ubi sit cessio aut largitio alicujus rei ad injustam redimendam vexationem, nimirum ex parte redimentis, cap. *Dilectus* 28. de simon. Obstat fortasse videbitur cap. *Martheus*, eod. tit. ubi statuitur eum qui fuerit de voluntate majoris partis Capituli electus, si pecuniæ largitione paucorum de Capitulo contradictionem redemerit, esse hoc ipso simoniacum & obligatione astrictum renunciandi Beneficio; cum tamen injusta videatur illa paucorum contradictio, quandoquidem in omni capitulari deliberatione ex majoris partis consensu jus tribuatur, cap. *Cum in cunctis*, de his quæ fiunt à majori parte Capit. Respondet Glossa in d. cap. *Cum in cunctis*, verb. *Paucis*, supponendum hic esse quod illa paucorum oppositio haberet justam contradicendi causam, ob quam electio ipso jure invalida foret. Aliter verò respondent Innocentius ibid. Navarra Manual. cap. 23. num. 102. Rebuffus, Bonacina & alii communiter, non licere vexationem pretio redimere antequam jus acquisitum fuerit per confirmationem electionis, quanvis ipsa vexatio injusta esset; sed licere redimere post confirmationem, aut Beneficii collationem, dummodo sit injusta vexatio. Ubi enim oppositio justa & legitima esset, non posset etiam post collationem pretio redimi. Distinguendum itaque inter habentem jus ad rem, & habentem jus in re: huic enim, sed non illi permittitur redimere pecuniâ vexationem iniquam. Quam decisivam distinctionem juris ad rem, & juris in re circa licitam aut illicitam redemptionem vexationis, dudum ante præcitatos Aucthores tradiderat insignis Doctor Sanctus Raimundus in Summa, lib. 1. tit. 1. de simonia, §. 20.

IX. Circa pretium simoniae constitutum invexere hujus nostrae seculorum facis haud pauci Scriptores novam & antiquis omnibus invisam opinionem: Licitum esse pactum conferendi rem spiritualement ac Ecclesiastica Beneficia pro pecunia, aliave quavis re pecunia aestimabili, dummodo pecunia illa non intendatur sub ratione pretii, sed sub consideratione motivi quo quis excitetur ad Beneficium aut aliud quid spirituale alteri attribuendum vel procurandum. Ad objectionem vero sumptum ex absoluta Canonum contra hujusmodi prohibitionem, respondere solent, illam absolutam sub poena simoniae prohibitionem non esse Juris Divini, sed à Canonibus inventam, atque ita posse per contrariam consuetudinem facile aboleri, solo excepto casu quo quis ex animi imperitia sibi proponet rationem pretii, quod est divina lege prohibitum; cum tamen pari facilitate proponere sibi possit rationem motivi, quae divino praecepto non adversatur, & possit hac arte sine animi noxa nummorum copiam corrogare: praesertim si Beneficium praevideat sibi fore deinceps inutile, eo quod nepotibus careat in quos illud transmittere possit, nimirum nullos habens nisi conjugatos, aut per etatem aliave impedimenta inhabiles.

X. Opinio ista conformis est admodum huic alteri, quam ex eadem officina profectam damnavit, & sub anathematis poena supremæ Sedi praeferquam in articulo mortis reservati, tueri, aut in praxim reduci prohibuit Alexander Papa VII. in Bulla incipiente *Sacrosanctissimus Dominus noster* *audivit*, anni 1665. *Non est contra iustitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator illa conferens pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali quod tibi conferre non tenebatur.* Ipsa certe intentio quam aliquis ad excusandas excusationes in peccatis sibi effingit, non immutat actionis naturam, quam liberè & cum cognitione operatur. Sic ille qui sciens & prudens contractum exercet usurarium, & tamen sibi in animo effingit intentionem nullatenus scelerandi, sed tantummodò paciscendi aliquid lucri supra mutuam sortem, non ut quid usurarium, sed tanquam motivum aut justum emolumentum gratificationis quâ se illi astringit cui mutuum dare non tenebatur; illa, inquam, fictitia intentio destrueretur per intrinsecam ipsius, quem operatur, actûs malitiam. Et is qui pradium sub pacto & obligatione ducentorum aureorum in alium transferret, quâvis illam summam vellet computari non ut pretium, sed ut motivum sine quo procul dubio non intenderet se suo pradio abdicare, atque ideo asseveraret se pradium nullatenus vendere; illa quidem fictitia intentio destrueretur per contrarium vere venditionis actum cum pretii conventionem. Idem illis usurariis utantur, & his actibus ad damones recurrant, eosque invocent, protestantur

protestantur tamen se nullum cum dæmonibus velle consortium, eisque verbo renunciant; cum tamen re ipsa cum illis commercium exercent, & eis famulentur.

XI. Circa celebrem illam questionem, utrum sit mentalis simonia ubi sine ullo pacto aliqua exhibentur obsequia Prælati ab ipsis Beneficiariis eo fine ut quis Beneficium hac via consequatur? Et an Prælati Beneficium Ecclesiasticum horum obsequiorum intuitu conferens simonia culpam incurrat? Item utrum Canonicus assistens Officiis Chori pro distributionibus lucrando simoniam delinquit? Non est hic respondendum per distinctionem pretii aut motivi, quæ panderetur infamis via omnibus Beneficiorum aliarumque sacrarum rerum mandinationibus. Et præterea ficta illa & chimerica intentio naturam actus contrarii non potest immutare, ut dictum est. Melius igitur respondent Glossa in cap. unic. de Cleric. non resid. in 6. Ostiensis, Joannes Andreas, Angelus, Joannes Major, Navarra, Covarruvias, Suarez per distinctionem primariæ & secundariæ intentionis. Eum scilicet qui primaria intentione Prælati amicitiam cupit demereri, secundaria vero intentione, nec illam amicitiam proponit Beneficium adipisci; Prælatum quoque qui tantæ obsequia per gratitudinem antidoralem remuneratur collatione Præbendæ, non ut debito justitiæ, sed motu gratitudinis, nulla interveniente pactione; hos, inquam, omnes esse immunes à simoniæ labe. Sed si versetur intentio immediate, primariò & per se ad acquisitionem Beneficii, aut si Prælati intendat primariò ista sibi obsequia deferri pro lucrando Beneficio, aut si studens avaritiæ ad parcendum impensis, quibus ista sibi essent conducenda obsequia, substituit pro locationis pretio quasi ex debito justitiæ attributionem Præbendarum, tunc scdum simoniæ crimen exerceri. Similiter si Canonicus dum Choro interest, vel solummodò, vel saltem primariò lucrum intendat distributionum, reum fieri simoniæ: sed si primariò Divinum Officium aut Dei cultum animo proponat, secundariò autem distributiones etiam tanquam ex obligatione justitiæ sibi debitas, nullatenus simoniâ implicari. Minime porò necesse est finem illum esse de se solo efficacem; sapenumero enim fit, ut primarius finis alio fine secundario roboretur ad operationis efficaciam, ut in eo contingit qui in bellum proficiscitur primariò propter Principis sui aut Reipublicæ studium; qui tamen militiæ nomen non dedisset, nisi accessisset secundaria intentio, & spes vel gloriæ apud homines, vel stipendii, vel honorariorum munerum acquirendorum. Aut ut utar similitudine desumpta ex Sancto Bonaventura, aliquis sibi sponsam assumit primariò non quia natum habet, sed propter nobilitatem aut bonos ejus mores, aut etiam propter dotem; quam tamen nullo modo duceret si natum non haberet. In summa munus ab obsequio excitatum primariò aliquo fine honesto, remotaque omni pactione, nullam parit simoniam.

XII. Recepta communiter Glossa in cap. *Ex parte* 1. de offic. deleg. eademque iterata Glossa in cap. *Cum pridem*, verb. *Illicite p. etionis speciem*, de pact. duplicem simoniam distinguit, scilicet prohibitam idèd, quia talis est, istaque est Jure Divino vetita; & simoniam idèd habitam, quia prohibita est, scilicet à Canone: atque ista simoniae species introducta est non à Deo immediatè, sed ab Ecclesia. Papa verò potest ab hac Ecclesiastica simonia dispensare, sed non ab illa prima, quæ ad Jus divinum & naturale pertinet.

XIII. Prosper Fagnanus has quæ sequuntur, tres simoniae species, nullatenus à Deo constitutas, sed solum ab Ecclesiastico Canone, recenset in cap. *Cum pridem*, de pact. Prima habetur in cap. *Salvator*, 1. quæst. 3. quo vendi prohibentur officium Oeconomi Ecclesiae, aut Sacristae, aut Protectoris. Horum enim officiorum venditio non est contra Jus divinum, quia neque personarum, neque res sunt per se sacrae, nec eas Ecclesia facit esse sacras, sicut sacra facit per consecrationem Altaria, Calices, Templum, Sacerdotes. Secundum Exemplum est in commutationibus Beneficiorum, in quibus res spiritualis cum alia aequè spirituali compensatur. Hoc etiam pertinet Quod ante Fagnanum docuerat Navarra Manual. cap. 23. num. 100. non esse simoniam ex Divina, sed ex Ecclesiastica tantum prohibitione, cum quis suo Beneficio in alterius favorem renunciat hac lege ut ille, vel alius aliquis renunciet alteri suo Beneficio in favorem alicujus alterius: hoc enim pactum versatur circa res utrinque spirituales, neque intervenit pecunia, aliudve pecuniâ æstimabile. Tertium profert Fagnanus exemplum, quod tamen minus est certum quàm præcedentia, in resignatione Præbendæ cum pacto solvendi pensionem: cui tamen ob stare videtur quod pensio illa conventa consistit in pecuniis, aut saltem sit pecuniâ æstimabilis. Verum responderi potest, eam pensionem non habere rationem pretii, sed solum alimentorum atque stipendii Ecclesiastici pro Clerico qui se majoribus stipendiis abdicavit ejusdem Beneficii, quique per hanc pensionem ex Constitutione Pii V. adstringitur hujus pensionis stipendio ad aliquod Ecclesiasticum Officium. Ratio quâ Fagnanus suadet hoc genus pensionis non vetari Jure Divino, ista est, quia Papa in his dispensat, qui tamen non potest à Jure Divino dispensare. Porro jus & petitio alimentorum quæ sacro ministerio conjunguntur, Divino Juri convenire, neque simoniam redolere docet Apostolus 1. Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non comedit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?*

XIV. Quod attinet ad quæstionem, utrum accipere pecuniam ad Beneficia Ecclesiastica alienanda, vel dare ad ea acquirenda, sit Divino Jure prohibitum? Affirmativam propugnant omnes ferè Theologi & Canonistæ de omnibus curatis Beneficiis, & quibuscumque annexa est Ordinis sacri exequutio, vel potestas Clavium. Licet enim & Ordinis, & Clavium potestas

testas esse possit sine Beneficio, nullatenus tamen se jungi potest curatum Beneficium ab illa sacra potestate, ob quam præcisè institutum fuit cum stipendiis ad illam exercendam potestatem institutis. Et sapienter admonet Paschalis Papa cap. *Si quis objecerit*, 1. quæst. 3. *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

XV. Quod verò spectat ad simplicia Beneficia, non est par omnium consensus. Plerique enim Canonistæ illud Paschalis dictum limitant ad sola curata Beneficia, asserentes simplicium Præbendarum venditionem, ut sunt Canoniciatus, non esse Divino Jure, sed Canonico prohibitam, atque ita non alia infici quam Ecclesiastica simoniâ, quæ possit Papæ dispensatione adimi. Ita censent Cardinalis Zabarella in cap. 1. de simon. num. 2. Henricus Boich, in cap. 1. in princ. ne Prælati vic. suas: Felinus in cap. *Ex parte* 1. num. 1. de offic. deleg. & in cap. 1. num. 2. de simon. Præpositus in cap. *Latozem*, 1. quæst. 1. à num. 28. Joan. de Anan. in cap. 1. de simon. à num. 7. Ostiensis & Joan. Andrea in cap. fin. de simon. Alexander consil. 93. Abbas in cap. 1. num. 6. de simon. & in cap. *Exstirpanda*, §. *Qui vero*, num. 53. 55. & 58. de præbend. Julius Clarus pract. crimin. §. *Simonia*, num. 5. qui communem hanc esse asserit Doctorum opinionem. Ab his tamen dissentiunt Cardinalis Joannes de Turrecremata in cap. *Latozem*, 1. quæst. 1. num. 9. Caietanus tom. 2. opusc. tract. 9. de simonia, quæst. 1. Thomas Campegius tract. an Papa labem simoniæ incurere possit, Joan. Gerson tract. de simonia, Ancharanus in cap. 1. de constitut. oppos. 11. Item Durandus, Petrus de Palude, & maxima Theologorum pars. Idque ista ratione probat Caietanus, quia cum contrariæ sententiæ assertores doceant, Papam non posse citra simoniam conferre pretio curatum Beneficium: ergo neque simplex, quia eadem ratio in utroque convincit. In primo quidem ob annexam curato Beneficio potestatem Ordinis & Clavium: in secundo verò ob annexum Officium Clericale, quod est spirituale, atque ita in materia divinitus vetita. Licet enim in spiritualibus sint diversi gradus, & sit potestas Ordinis & Clavium sacratior Officio Clericali; sunt tamen utraque sub eodem spiritualium genere: non enim magis & minus distinguunt speciem, ut docet Aristoteles, & patet inductione omnium ferè specierum. Additque Caietanus, oppositam sententiam esse Canonistarum errorem, Et Petrus Ancharanus affirmat, quod praxis opinionis illius universum Ecclesiæ statum denigraret.

XVI. Id ulterius comprobatur, quia sacra Chalcedonensis Synodus cap. 1. simili poenâ dignos judicat utrosque simoniacos, tam illos qui pecuniâ vel conferunt, vel acquirunt quæcumque Ecclesiastica officia & munera, quam eos qui sacram manuum ad Ordines impositionem mercantur: & habetur in cap. *Si quis Episcopus*, 1. quæst. 1. Idemque repetit Alexander Papa 11. cap. *Ex multis*, 1. quæst. 3. ubi hoc etiam adjungit, Christum Dominum, quando flagello ejecit è templo vendentes columbas, damnasse

damnasſe illos qui ſacras Ordinationes, per quas datur Spiritus Sanctus ſimoniace mercantur: quum verò ejecit nummularios, eorumque æs menſasque ſubvertit, damnaſſe illos qui ſimoniam exercent circa Eccleſiæ Beneficia. Scriptura etiam ſacra iſtud ſimoniz genus reprehendit 3. Reg. 13. circa Sacerdotes pecuniario pretio conſtitutos ab Jeroboamo. Ipſeque Chriſtus præcipit ſuis Apoſtoliſ eorumque ſucceſſoribus, Matth. 10. *Gratias accipiſtis, gratis date.* Et Apoſtolorum Princeps Simonem Magum cum oblata pecunia hiſ verbis execratus eſt, Act. 8. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaviſti pecuniâ poſſideri.* Atqui inter dona Eccleſiæ à Deo collata ad ſpiritualem finem, indubitatè recenſeri debent Eccleſiaſtica Beneficia ſimplicia, cum primariò, & per ſe deputentur ad Dei cultum & ſpirituales actus in Eccleſia Dei exercendos, ut aperte declarat Clementina *De ii*, de ætat. & qual. & ord. & Concilium Tridentiſeſſ. 21. cap. 3. & ſiſſ. 24. cap. 12.

XVII. Neque ullatenus in oppoſitum valet iſta diſtinctio, quod Beneficium duo complectatur, unum ſpirituale, alterum temporale: & hoc pecuniâ rependi poſſit, non verò illud. Eſſe namque duo iſta prout indivulſa & inſeparabilia, docet d. cap. *Si quis objecerit*, 1. q. 3. *Si quis objecerit, non conſecrationes emi, ſed res ipſas quæ ex conſecratione proveniunt, penitus deſpere probatur: nam cum corporalis Eccleſia, aut Episcopuſ, aut Abbas, aut tale quid ſine corporalibus rebus in nullo proficiat, ſicut nec anima ſine corpore corporaliter vivit, quiſquis alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum relinquit.* Nulluſ igitur emat Eccleſiam, vel Præbendam, vel aliquid Eccleſiaſticum: nec paſtellum, vel paſtum antea vel poſtea pro huiuſmodi ſolvat. Superius ex Cajetano probavi Canonem iſtum ob rationis paritatem æquè valere circa ſimplicia ac circa curata Beneficia.

XVIII. Ut igitur ceptum proſequar argumentum, certum eſt duo exigi ut poſſit quiſ donare quæcumque rem. Neceſſe primùm eſt ut rei donandæ habeat dominium: ſecundò ut ejuſdem liberam habeat adminiſtrationem. Non enim ſufficit ſola adminiſtratio ſine dominio; etenim tutores, curatores, procuratores, quanvis eiſ credita ſit adminiſtratio, donare non poſſunt ea quæ adminiſtrant, quia carent dominio. Neque ſufficit dominium ſine adminiſtratione; nam pupilli & minores curatoribus proviſi, & prodigi, quanvis rerum ſuarum ſint domini, earumque proprietatem & uſumfructum habeant, non poſſunt quidquam de rebus ſuis donare, quarum adminiſtratione carent; quo ſenſu ait Apoſtoluſ: *Quanto tempore heres parvuluſ eſt, nihil differt à ſervo, cum ſit dominuſ omnium, ſed ſub tutoribus & actoribus eſt.* Atqui Papa & inferiõres Prælati, ut diſerte aſſerit Sanctuſ Thomuſ, rerum Eccleſiæ dominio carent, ſed tantum eiſ credita eſt illarum diſpenſatio, 2. 2. quæſt. 100. art. 1. ad 7. Cum igitur nemo poſſit alienare, ſeu donare, niſi propriuſ dominuſ, cap. *Abbati*, diſt. 55. Papa verò ipſe non ſit Beneficiorum dominuſ, nullatenus dicen-

dum

dum est eum donare proventus Beneficii, sed solum ex officio dispensatoris personam assignare, quæ officium Beneficio annexum exequendo jus habeat potiundi ejus fructibus & proventu. Sit igitur argumentum: Dare spirituale pro consequendo temporali, aut pro acquirendo spirituali dare temporale, vetitum est Jure Divino & naturali. At quisquis pecuniam dat pro consequendo Canonatu aliòve simplici Beneficio, dat temporale pro acquirendo spirituali. Et aliunde non potest dici quod Papa aut alius Collator donet Beneficium dum illud confert, quandoquidem ut docet S. Thomas loco cit. non est rerum Ecclesie dominus, nec dare, vel alienare potest ea quorum dominio caret, ut probavimus; sed est solum fiduciarius dispensator, dicente Apostolo: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei: hic jam queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniat.* Ex quibus sequitur, quod pretium quod Papa pro Beneficio acciperet, non caderet super temporali illius Beneficii, cujus ipse Papa neque est dominus, neque per consequens donator, ut probavi: sed pretium caderet super dispensatione, seu collatione, seu assignatione ad sacrum officium cui redditus destinantur; quæ dispensatio seu collatio est sacra, & ex divino jure profecta. At verò quæcunque Deus sive Summi Pontificis, sive aliorum Prælatorum dispensationi credidit, sub hac obligatione credidit: *Gratis accepistis, gratis date.* Matth. 10. Et præterea infidelis est dispensator quisquis bona domini sui suæ administrationi credita vendit, retento sibi pretio. Ex quibus sequitur Papam non posse talia agere, præsertim in Beneficiis quæ sunt jura spiritualia; neque posse cum aliis dispensare ut talia agant contra Jus divinum & indispenabile.

XIX. Opponet aliquis, Calicem consecratum licite vendi, modò pretium non augeatur propter consecrationem, cap. *Hoc jus porrectum*, 10. quæst. 2. Et juspatronatus transire per venditionem cum cæteris juribus temporalibus quibus est annexum, cap. *Cum seculum*, & cap. *De jure*, tit. de juspatron. Ad hæc respondetur duplicem in his esse disparitatem. Primo, quia venditio Calicis aut jurium rerumque temporalium non cadit super consecrationem, aut super inherens rebus juspatronatus; sed horum utrumque suum principale & temporale subjectum, cui inhaeret, tanquam accessorium comitatur. At in venditione Beneficii probatum jam est pecuniam oblaram, sive pretium non cadere super fructus, quorum Collator nullum, ut probavimus, habet dominium; sed super institutionem ipsam ad divinum ministerium, quæ planè spiritualis est. Secundo, quia in calice & juspatronatus res sacra est quid accessorium, res autem temporalis est ipsum principale. Atque hæc sunt temporalia quæ paulò ante art. 2. vocavimus post sanctum Thomam antecedenter spiritualibus annexa. In his accessorium sequitur naturam sui principalis, cap. *Accessorium*, de regul. jur. in 6. Sed non econtra. Enimverò in temporalibus annexis rei spirituali consequenter, ut contingit in Beneficiis, res ipsa sacra est ipsum

ipsum principale, & res temporalis est accessorium; nam Beneficium non datur nisi propter officium, cap. fin. de rescript. in 6. Officium autem est simul sacrum & principale.

XX. Instabit aliquis ex adverso, Beneficiorum divisionem & præbendarum assignationem esse Juris Ecclesiastici & positivi, & non Divini aut naturalis. Atqui Papa est super omne Jus Divinum & Ecclesiasticum. Respondet Caietanus tom. 2. opusc. tract. 9. istud esse sophisma non cause ut causæ. Nam dependentia titularum à Jure Ecclesiastico non est causa illicitæ horum venditionis, sed ipsamet spiritualitas Beneficii. Res enim spirituales, quantumvis à jure positivo dependeant, sunt extra humanum commercium, nec vendi nisi per simoniam possunt. Tales sunt consecrationes Altarium, Ecclesiarum, Calicum, Virginum, Vestium, Campanarum, quæ sunt positivi quidem juris, sed illicitæ ac simoniacæ venales. Ad valorem itaque hujus argumenti necessarium esset probare titulum Beneficii rem profanam esse & merè temporalem, non verò esse quid positivum. Sic quoque licet ordo Episcopalis sit divinæ institutionis, tamen numerus Episcoporum & Episcopatum erectiones & limites sunt positivi & Ecclesiastici Juris, cum constet Ecclesiam posse dioceses multiplicare, aut reducere plures in unam, aut unam in plures dividere, limites arctare vel proferre, novos Episcopatus inter barbaras nationes erigere, cap. 1. & 2. dist. 22. & cap. Cum olim, dist. 95. Et tamen constat non posse ullum Episcopatum nequidem novæ erectionis à Summo Pontifice vendi. Et qui hoc attentaret duo crimina perpetraret, unum simoniæ, alterum injustæ usurpationis & venditionis rei non suæ, cum non sit dominus, sed tantum dispensator rerum Ecclesiæ, ac præsertim sacrarum Dignitatum & Titulorum. Præstat audire S. Thomam loco cit. 2. 2. quæst. 100. art. 1. *Papa (inquit) potest incurrere vitium simonia, sicut & quilibet alius homo. Peccatum enim in aliqua persona tantò gravius est, quanto majorem obtinet locum. Quamvis ergo res Ecclesiæ sint ejus ut principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus ut domini & possessoris: & ideo si reciperet pro re aliqua spirituali pecuniam ex redditibus Ecclesiæ, non careret vitio simonia. Et similiter posset simoniam committere recipiendo pecuniam aliquam à laico non de bonis Ecclesiæ.* Eadem docet in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 2. Et in Summa loco cit. art. 4. affirmat Beneficium Ecclesiasticum esse spiritualibus annexum, & ab his dependens. Itaque longè à vero aberrat Navarra cap. 23. num. 108. asserendo Beneficia ex natura rei, & seclusâ humanâ prohibitionem posse eadem facilitate vendi qua sacri Calices, vel Altaria consecrata, æstimando duntaxat quod in illis inest solum materiale, & præscindendo à conjuncto illis spirituali.

XXI. Si quis objiciat annatas pecuniarias, quas solent Romani Pontifices ab iis exigere quos provident Episcopatu aliâve Consistoriali Dignitate: Respondeo ex intentionum diversitate posse annatas esse licitas aut

aut illicitas. Si istæ annatæ exigantur propter dignitatis Ecclesiasticæ collationem, aut si imponantur personæ provixæ, non verò redditibus, annatarum impositio erit simoniaca: sed si imponantur supra redditus, & non supra personam; aut si non pro collatione, sed pro debito ære alieno imponantur, neque simoniacæ erunt, neque illicitæ. Potest enim Papa hoc jus imponere & exigere, non ratione collationis aut provisionis; sic enim conferret rem sacram pretio pecuniario; sed cum habeat jus pro sustentandis oneribus Pontificiis, quæ gravia & multiplicia sunt, aliquid super proveniuntibus Dignitatibus & Beneficiis imponendi, & impositum exigendi: quod possunt etiam inferiores Episcopi super Diocesis suæ Beneficiis titulo cathedralici aut charitativi subsidii, ut à sacris Canonibus ipsis permittitur; aut pro erigendo & fundando Seminario, ut eis per Concilium Tridentinum permittitur. Hæ verò annatæ imponuntur ut æs alienum Papæ debitum pro gravissimorum Papæ incumbendum onerum sustentatione, aut etiam (qui finis quoque licitus est) pro recognitione domini Pontificii in omnes sibi subditas Dioceses & Ecclesias. Et in veteri Lege minores Sacerdotes qui pro sacro stipendio decimas à populo sumebant, obligabantur Dei præcepto decimarum suarum alias subductas decimas Pontifici Legali contribuere, Numerorum 18. vers. 26. 27. 28.



CAPUT IV.

Varia circa simoniam difficultates solvantur.

- I.  UERITUR primò, utrum simoniaca sit mutua Beneficiorum permutatio? Respondeo non aliam inesse simoniam, quàm Juris Canonici & Ecclesiastici, quatenus Concilium Turonense citatum in cap. *Majoribus*, de præbend. prohibet Dignitatum Ecclesiasticarum commutationem. Deinde verita fuit generatim mutua quorumcunque Beneficiorum permutatio, cap. *Quasium*, cap. *Cum olim*, cap. *Cum universorum*, de rer. permut. Sed cum spirituale altero spirituali commutetur, fatendum est prohibitionem istam non esse Divini Juris. Hujusmodi permutationem Bonifacius VIII. fieri demùm permisit hæc lege, ut admittatur ab Ordinario Episcopalem habente potestatem, cap. unico de rer. permut. in 6. Itaque inferiores Prælati, quanvis habentes jus conferendi, non possunt conferre ex causa permutationis, ut post Bellameram docet Pastor lib. 3. de beneficiis, tit. 11. Quid si contingat Beneficia compermutanda esse in diversis diocesis? Respondeo id fieri posse uno ex tribus his modis: vel fiet in manibus utriusque Episcopi am-
borum